



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Variæ Scholasticorum opiniones. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

CAPVT I.

De actu controuersie.

Cum in hac disputatione, & sequenti querimus, quorum cognitione procedat verbum diuinum; aut de Spiritu sancto quorum amore spiretur, non dubitamus intellectiōem, quā verbum producit, ita esse fecundam, & communem, vt non solum essentia Dei, sed reliqua etiam omnia quæ sunt in Deo, complectatur. Nā sicut in verbo suo cognoscit omnia, sic etiam in eo omnia dicit, etiam creaturas possibiles, & futuras. Naque etiam præsens questio est, an Deus prius intelligat omnia, quam producat, & ex illorum cognitione, tanquam ex principio generet verbum suum. Nam, vt dicebamus, disputat. 12. cap. 1. principium producendi verbum non est intellectio, sed memoria, hoc est, intellectus patris veluti in actu primo. Quinimo productio verbi est ipsamet intellectio notionalis, quæ est in patre: tamen si Scotus, & nonnulli putent, prius esse intellectiōem, quam productionem verbi: & ita peculiarem ipsi in hac controuersia secutus est opinionem, vt capit. sequenti videbimus. Sed præsens controuersia cum alijs, qui dicunt, ipso actu intelligendi produci verbum, in eo præcipue sita est, vtum in intellectu Patris, & in essentia illius veluti in specie, & principio intelligende per se re requisito ad productionem verbi, contineantur omnia, quæ sunt in Deo; veluti intelligibilia in actu 1. sicut obiectum dicitur esse in intellectu; ratione speciei intelligibilis ad producendam sui intellectiōem; vt principium per se necessarium: an potius aliqua ibi solum contineantur tanquam necessario committantia ipsam verbi generationem. Atque hoc pacto etiam intellecta questione, varia sunt Theologorum placita, vt sequenti capite referemus.

CAPVT II.

Varia Scholasticorum opiniones.

Sententiam Scoti sic intellexit Caietanus in Commentario huius articuli, vt assereret, nec verbum diuinum procedere ex scientia personarum, nec Spiritum sanctum ex amore earundem, tanquam ex principio, sed ex scientia, aut amore solius essentiae: personas autem sub eadem scientia, seu amore cadere necessario, concomitater tamen sicut etiam creaturas: quamuis haec alia ratione sub ea comprehendantur, nempe contingenter. Hanc sententiam colligit Caietanus ex Scoti in primum dist. 32. quest. 2. §. Ad primum dico, in solutione vltimi, vbi solum loquitur de processione Spiritus sancti, & asserit id, quod modo referebamus. Idem affirmat in eadem distinct. quest. 2. ad vltimum. Id autem fieri debet, & maiori multo ratione de processione verbi, vt statim videbimus. Alijs vero in locis vbi disputat, vtum verbum procedat ex cognitione creaturarum, an solius essentiae, solum affirmat, produci ex cognitione solius obiecti primarij, hoc est, essentiae diuinæ: non secundarij, scilicet creaturarum, nulla de personis mentione facta: ibique solum assignat primarium obiectum, *Varquez in 1. partem Tem. II.*

essentiam scilicet diuinam, & secundarium, scilicet creaturas: vt videre est apud eundem in secundum distinct. 1. quest. 1. §. Quantum ad primum, & §. Quantum in hoc iuratur, & quodlib. 14. §. His intelligendum est. Nihilominus ex doctrina, quam tradidit in primum dist. 2. q. 7. §. Obijciunt contra, circa finem, & alijs locis disput. 111. cap. 2. allegatis, non obicere colligitur, in prædicta fuisse sententia: asserit enim, verbum non procedere per actum scientiae, & cognitionis, sed per actum dicendi, quem putat sequi ex actu intellectiōis, & scientiae, & ipso esse posteriore: hinc autem fit, vt antequam prima persona dicat verbum suum, non possit ipse verbi habere scientiam, imo neque paternitatis: quia in illo priori rationis, antequam dicat verbum, ipsa non habet rationem patris, cum nondum sit filius. Quod si filius non procedit ex cognitione paternitatis, & ipsius filiationis: multo minus ex noticia Spiritus sancti: superest igitur, vt ex noticia solius essentiae producat. De attributis, quæ putat distingui ex natura rei ab essentia, nihil dicit Scotus: sed meo iudicio nomine essentiae ea comprehendit: quia licet ab essentia formaliter differant: ad illius tamen perfectionem, etiam ex mente Scoti, pertinent: & ita ad filij generationem concurrere debent.

Hæc sententia probari potest primum, quia, vt diximus, in illo priori signo rationis nodum sunt paternitas, filiatio & spiratio: ergo tunc nondum est scientia intuitiva illarum: ac proinde nec ex illarum noticia oriri potest actus dicendi, quo producit verbum. Aut asserendum est, non per notionem intuitivam illarum iam præsentium, sed per abstractiuam earundem quasi possibilem, aut quasi in sequenti instanti futurarum procedere: quod videtur absurdum: cum ea, quæ sunt in Deo noticia intuitiva, quæ terminatur ad id, quod præsens est, ab ipso Deo videantur. Deinde si verbum procederet à spiratione passiva, vt à principio intelligibili, esset imago Spiritus sancti, quia vt verbum sit alius imago, satis est, si procedat ab eo, vt ab obiecto intelligibili per se requisito ad productionem: atque eadem ratione fieret, vt verbum esset sui ipsius imago, si ex sui noticia procederet. Hæc sunt rationes, quæ pro sententia Scoti fieri possunt.

Hæc tamen opinio ex dictis in disputat. 112. cap. 2. & 3. nullo negotio refutari potest. Ibi enim contra Scotum ostendimus, fundamentum, quo hæc sua sententia nititur, falsum esse nimirum verbum procedere per actum dicendi intellectus, qui sit posterior intellectiōe, cum reuera producat ipso actu intellectiōis notionalis. Quocirca nihil obstat videtur, quominus cognitio, quæ verbum producit, sit cognitio paternitatis, & filiationis, vt c. sequenti explicabitur. Idem de Spiritu sancto dicendum est, cum ille vere procedat actu dilectionis notionalis, non autem, vt putauit Scotus, actu alio posteriori, qui formaliter non esset dilectio, sed solum spiratio. Quomodo vero non generetur verbum noticia sui ipsius, & Spiritus sancti subesse possibili, aut futuro, statim contra Caiet. & alios videbimus.

Secunda sententia est, verbum quidem produci cognitione sui ipsius, & Spiritus sancti, nō qui dem intuitiva, sed quasi abstractiva, quam videntur sibi auctores ipsius ex Caietano in commentario huius articuli colligere. Ille namque ad secundum

43

Scoti sententia probatur primo.

Probatum secundo.

5.

Scoti sententia refutatur.

6.

Tertia sententia.

Tertius.

Q

dum Scoti concedit, verbum procedere à se ipso, & Spiritu sancto, ut cognitis scientia Patris: hæc autem scientia non potest esse intuitiva, quasi præsentium: sed abstractiva: quasi possibilium, & in sequenti instanti rationis futurorum. Et sanè de Spiritu sancto id clarius sequi videtur: nam in illo priori signo originis, quo producit filius, nondum est Spiritus sanctus productus: ergo si tunc notionaliter intellectione cognoscitur, erit solum notitia abstractiva, non intuitiva.

Verum hæc opinio non minus facile rejicitur. Nam licet in Deo distinguere possimus prius, & posterius origine, & ratione nostra: & quamvis dicamus, vnum prius cognosci, quam aliud; hoc tamen fit inter ea, quæ re vera in Deo esse intelligimus: non inter ea, quæ omnino conficta sunt: atqui in ipso Deo futurum nihil est, aut possibile quod actu non sit: frustra ergo excogitamus prius, & posterius, inter ea, quæ in Deo non sunt, aut fingimus, Deum Patrem notitiam habere Spiritus sancti, ut futuri, & possibilis, antequam ut præsentis, & existentis. Cum autem consideramus patrem, & filium prius, quam producant Spiritum sanctum, tunc potius ipsum cognoscimus sine notitia Spiritus sancti, quam cum scientia illius abstractiva. Cogitare enim illum sine cogitatione Spiritus sancti, nihil aliud est, quàm considerare in eo vnum non considerando aliud: ex quo nullam ei imperfectionem attribuimus. Neque enim asserimus, Spiritum S. non cognosci à Patre, sed pro modulo nostro ea, quæ in Deo sunt simul diuidimus, & diuisa paulatim cognoscimus, & ita apprehendimus Patrem in aliquo signo rationis, in quo consideramus ipsum adhuc sine notitia Spiritus sancti. Dicant ergo, verbum generari notitia, & scientia intuitiva, quam Pater habet ipsius, & Spiritus sancti, potius, quam notitia abstractiva, quæ in Deo omnino cõmentitia est. Neque vero Caietanus de notitia abstractiva quidquam dixit, sed absolute pronuntiavit, verbum procedere à seipso, & ab Spiritu sancto, ut cognitis scientia Patris.

Tertia sententia.
Ferrar.

8.

Non docuit
Ferrar. Pa-
trẽ esse sa-
pientem sa-
pientia ge-
nita ut for-
ma.

Tertia demum sententia sit Ferrar. 4. contra gentes capit. 13. versiculo. *Ad primum videtur*, vbi affirmat, priorem esse verbi productionem quam notiam creaturarum, etiam possibilem: eo quod putat, verbum ad hoc produci, ut in eo Pater intelligat scientia notionaliter ea, quæ in ipso sunt. Ex quo necessario debet asserere, prius produci verbum, quam ipsum, & Spiritus sanctus à Patre cognoscantur. Quam opinionem nonnulli seuerius notant, quam par est, quod incidere videatur in sententiam, quam Augustinus quondam docuit, libr. 83. questionum q. 23. videlicet, Patrem esse sapientem sapientia genita, hoc est Filio. Quam sententiam postea merito retractavit 6. de Trinitate cap. 1. & 2. & 7. lib. cap. 1. & 3. & 16. lib. 7. & 1. retractatum cap. 26. Verum ab ea sententia meo iudicio longè abest Ferrar. Augustinus enim ibi dixerat, patrem esse sapientem sapientia genita, tanquam forma, quod postea iudicavit absurdum: cum pater in se sapiens sit, non à verbo, tanquam à sapientia sua: cum potius verbum sit sapientia genita à patre sapiente: id quod optime docuerat Athanasius in orat. contra Gregales Sabellijante medium vbi sic loquitur. *Ibidem quoque sapientia Patris est Filius, non ita, ut in homine, vbi per sapientiam homo fit sapiens, sed ex sapiente sapientia*

ipsum trahit. Et postea idem tradidit Anselm. in monologia cap. 43. At Ferrariensis solum docet, verbum ad hoc produci, ut pater intelligat cognitione notionaliter in ipso, tanquam in termino producto, non per ipsum tanquam per intellectiōnem, & sapientiam: concedit enim, in Patre non solum scientiam essentialē, & communem tribus personis; sed etiam notionalē, qua in verbo à se producto nouit omnia. De illa vero propositione, *Pater est sapiens sapientia genita*, dicemus ex professo disputat. 151. c. 1.

Verum enimvero sententia hæc Ferrariensis etiam alia ratione mihi non probatur quia, ut disputat. 112. capit. 2. ostensum est, actus ipse generationis, & productionis verbi, non est prior, imo neque est diuersus ab actu intellectiōnis notionalis atque adeo nihil obitare videtur, quo minus verbum saltem per sui cognitionem procedat, & generetur.

CAPVT III.

Cognitione essentiali, attributorum, simulque Patris & Filij producti verbum, verum sententia docet.

Ea, quæ intra ipsum Deum considerantur, quorum cognitione verbum produci possit, tria sunt; essentialia, attributa, & personæ. De quibus vero prioribus nulla potest esse difficultas: omnibus enim compertum est, verbum visus generationis procedere talis naturæ, & personis, atque in eo priori signo rationis, in quo prima persona intelligitur secunda, ad generationem, non solum concipi Deum ipsa essentialia diuina constitutum; verum etiam perfectum omnibus attributis, & perfectione, quæ essentiali diuine conuenit, & tribus personis communis est. Id quod in opatione, etiam Scoti, qui assentiri attributa ex natura rei ab essentiali distingui, necessario concedi debet: nec ipse vnquam negant. Eterna enim generatio, sicut communicat diuinitatem, communicat etiam ea, quæ propriatius sunt, ut sicut producit Deum, ita quoque producat omnipotentem, &c. Cum que generatio, & verbi productio sit intellectio, fit ut intellectiōne, qua pater intelligit essentialia, & attributa, producat filium suum. Quomodo vero, cum attributa sint obiectum secundarium intellectus diuini nostro modo intelligendi, & creaturæ etiam secundarium obiectum suo modo esse dicamus, non sit eadem ratio vtrorumque, disputatione sequent. 4. videbimus. Hæc igitur omnia, essentialia nimirum, & attributa comparantur cum verbo Dei, sicut principium illius, non productum, sed intelligibile per modum obiecti, hoc est per quorum cognitionem nostro modo intelligendum per se procedit.

De personis vero maior esse difficultas, an omnes eodem modo se habeant in productione verbi difficultas tantum est, si de illis loquamur per modum obiecti per se necessarij ad illius productionem: si enim dicamus hoc modo procedere, probum incidere in absurdum, quod dicimus in secundaria ratione, quæ pro sententia Scoti a cap. allata est nihilominus censio primum, requiri non posse, verbum procedere per intuitum cognitionem, & scientiam, quæ circa duas personarum